



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

9. Septembris. Asperitas in eos qui imbecillæ virtutis sunt, minimè adhibenda, ne mali multò plùs nascitura inde diffidentia pariat, quàm exspectari possit de reprehensione acerba boni. S. Ignat. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

optares, te ipsum argue; cur non melio-
rem efformas? Non poterat fieri, ut pri-
mum efficeres, potest nunc, ut reficias. Nul-
la est tam pervicax, quæ correctionem re-
cuset.

Feliciter te crederes, si naturam eligere
potuisses; potes nunc longè securius; non-
dum vitam expertus, optione hac fortuito
egisses; nunc post experientiam prudentior
erit delectus, ubi te probasti; sagacius con-
siliium est post periculum.

9. Septembris.

*Asperitas in eos qui imbecilla virtutis sunt,
minimè adhibenda, ne mali multò plus
nascitura inde diffidentia pariat, quam
expectari possit de reprehensione acerba
boni. S. Ignat. apud Bart. l. 3. n. 36.*

Correctionis finis emendatio sit, ultra
hanc qui premit, non est pater; quid
correctio juvat, quæ obstinationi potius,
quàm emendationi servit? correctionis
importunitas, peiores facit.

Quæ imbecilla sunt, nec firmam adhuc
radicem egerunt, asperior aura facilè ever-
tit: serri dein solis calores, seræ tepidi Ze-
phyri blanditiæ non revocabunt ad viro-
rem.

Quis

Quis adeò impudens? ut Judicis benignitate non moveatur, dum pœnæ, quam merebatur, loco, clementiam experitur: errori dolorem & ipse substituet; quid pluribus opus?

Mansuetudine correctionis rei amorem Judex promeretur. fiet proinde, ut error vitet, ne amato displiceat. Hac nulla certior est vitiorum extirpatio.

10. Septembris.

Contra quotidianas demonis insidias par est, quotidianas statis horis agere vigilas, in se descendere, dicta omnia, facta, & cogitata coram Deo diligentissimè repetere. S. Iguat. apud Lyr. l. 2, c. 6.

Quotidianâ colitoris diligentia eget hortus, ut in suo decore conservetur: si non observentur in dies areolæ, lolia brevè pro floribus, zizania pro fructibus alent. Non satis est, bonum semen seminasse, nisi inutiles extirpentur herbae; prima spes omnis in herba interibit, suffocabitur à noxiis. Labor sinè diligentia parum prodest.

Hostis noster semper vigilat in mala nostra indefessus, id maximè tempus observat, quo minimè observatur. Clanculum

sua